DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE ICHTHYOSI.

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
AUGUSTO AC POTENTISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

CAROLO FRIDERICO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM
PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE
PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA
BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN LITERARUM UNIVERSITATE JENENSI
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
JURIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS

DIE XXVIII M. MAJI A. MDCCCXLI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GEORG. CAROL. POLACK

SAXO-GOTHANUS.

JENÆ
TYPIS BRANII.

1841

GRATIOSO

MEDICORUM JENENSIUM

ORDINI

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

EX ANIMO DEDICAT

VENERABUNDUS

AUCTOR.

Non male fecisse mihi videor, ichthyosin, de qua hac dissertatiuncula agatur, eligendo, tum quod hic morbus e rarioribus est, tum quod, unde et quomodo nascatur, perobscurum et incertum, quodque, quomodo sit sanandus, problema est haud facile solvendum, denique quod cutem hoc morbo degeneratam iconibus depictam haud saepe habemus.

Cum autem felici quadam sorte mihi contigisset, ut hominem hoc morbo laborantem curandum haberem, factum est, ut statim consilium caperem hac dissertatiuncula exponendi, qui hic morbus illo in homine fuerit, quomodo ejus cura fieri potuerit, tum aegrae cutis imagines quasdam addendi.

Describendo igitur illo, de quo supra dixi, morbo eoque tabula lapidea exprimendo et quam accuratissime reddendo ad cognoscendum hunc morbum an aliquid, quod quam sit exiguum haud ignoro, tribuere possim, periculum facere volui.

Definitio ichthyosis.

Ichthyosin (a voce ἰχθύς, quae piscem, vel ἰχθύα, quae exsiccatam piscium cutem exprimit, derivandam) squamarum eruptionem dicimus, quae squamae ex epidermidis aegre luxuriantis lamellis constant, durae, densae, subalbidae, canae, e viridi pallentes, e fusco nigricantes, haud pellucidae; tex-

turam assumere solent corneam, mox singulas partes, mox totum corpus, majori aut minori ipsae ambitu, occupant; ubi deciderunt, denuo nascuntur. Epidermidis condensatio plures habet gradus, secundum quos et ipse morbus in diversas dividitur partes.

Initio morbi epidermis condensata, aspera, decolor, quasi luto oblita et praeter naturales incisuras veluti cicatricibus obducta; dolor sentitur nullus. Denique aegra cutis surgens innumeras, sed parvas quidem, fissuras, ubique rimas agendo, generat, quae sensim longiores altioresque fiunt et quoquoversus decussantur. Inde fit, ut corporis superficies in multas et tenues partes procidentes separetur, magnam partem verrucis similes, usque dum sensim in formam squamosam rediguntur.

Haec in ichthyosi observari in universum solent. Adscribuntur tamen huic morbo aliae etiam epidermidis deformationes, quae magnam partem e corneis, spinosis excrescentiis constant, de quibus infra fusius agetur.

Synonyma.

Lepra Ichthyosis (Sauvages).— *Maladie écailleuse;*— *Serpentine;* — *Pergamine;* — *Fish-skin disease;* — Morbus verrucosus universalis; — Keratiosis;— Cerastrosis;— Lepidosis Ichthyosis (Young); — Lepidosis Ichthyasis (Good); — Hystriaciosis (ὕστριξ proprie seta suilla, tum etiam proprie sic dicta hystrix.)

Diversa in genera et varietates morbi divisio

pendet tum ex epidermidis condensatione, tum ex cutis partium, squamis veluti intectarum, forma atque situ; varia a diversis scriptoribus ex variis, quibus observatur, formis nomina accepit. A plurimis, qui ejus mentionem faciunt, morbis leprosis adscribitur, cum contra multi sint, qui, quamvis de Lepra scripserint, tamen neque huic morbo nostrum adnumerent, apud quosque ne verbo quidem attingatur. Quorum virorum de ichthyosis et aetate et origine ortuque sententiae diversissimae sunt; quam enim e dyscrasia nasci alii contendunt, alii eam hereditate quasi accipi, alii ex nescio quibus viribus ignotis oriri affirmant.

Sanare hunc morbum diversissimis modis medici tentarunt, quamvis ipsa sanatio semper fere nisi palliativa nulla fuerit.

Libri de ichthyosi scripti.

Alibert, Des. des maladies de la peau, fol. 1806.
Archives générales de médecine, Tom. V.
Backer, Philos. Trans. Vol. XLIV, p. 1.
Bateman Thomas, Praktische Darstellung der Hautkrankheiten nach dem Systeme des Dr. Willan (II. Ordn. 4. Gattung).
— — *Abbildungen von Hautkrankh. Tafel IX.*
Behrend Jac., Beschreibung und Abbildungen knolliger Auswüchse der Füsse; herausg. von W. Sömmerring, mit 5 Abbildungen. Frankf. a. M. 1825.
Biett.
Billard (a. a. O. S. 72).
Buniva.
Cazenave, a. a. O. S. 320—328.
Choulant, pathologia et therapia spec., p. 500. 1838.
Cooper A., First Lines of the practice of surgery. Vol. I, p. 230.

Ehrhard's Dr. Joh. Nepom., Med.-chirurgische Zeit. Bd. I. 1819. *von P. J. Martin, mitgetheilt von Cline, p.* 104.
— — Bd. II. 1820. *p.* 177, *von Abraham Haskel. M. Dr.*
Ephem. Acad. cur. dec. I, p. 89.
Follet, Rech. sur l'ichthyose cornée. 4. 1815.
Frorieps Notizen, Bd. VII, S. 33—40; *vgl. Bd. X, S.* 56.
— — Bd. XVI, S. 89.
Fuchs Conr. Heinr., die krankhaften Veränderungen der Haut und ihrer Anhänge, Göttingen 1840.
Girdlestone (Med. and Phys. Journ. Vol. III).
Good's Study of Medicine, Vol. IV.
Hist. de la soc. Roy. de Paris, Nro. 1776.
Horn's Archiv für med. Erfahrungen, Jahrg. 1822. *von Dr. Henning, S.* 415.
— — 1823 *I. von Dr. Mannsfeld, p.* 1.
— — 1828 *Heft.* 2, *S.* 316—332.
Joulhia (P. G.), Diss. sur l'Ichthyose nacrée. 4. 1819.
Lettsom, Med. Memoirs of the gen. Dispensary, sect. III, p. 152.
Lorry, de morbis cutaneis. 4.
Marcell. Donatus (Mirabil. Lib. I, 3).
Martin (Med. Chirurg.), Trans. Vol. IX, p. 52.
Meckel, a. a. O. S. 277. 284.
— Handbuch der pathol. Anatomie, Bd. II, Abth. II, S. 276—287.
Medico-chirurgical Trans. of London, Vol. IX.
Medical Facts and Observations, Vol. III.
Mem. della Società Italiana, Tom. XVI.
Morgagni, Epist. anat. LV, Nr. 2.
Otto (a. a. O. S. 114).
Panarolus; Pentecoste V, obs. 9.
Pechlin, Observat. phys. med. p. 315.
Philos. Transactions, Vol. XIV. XLVIII. XLIX and *LXXXI.*
Philos. Trans. Nr. 176. 297 *et Vol. XLVIII. p.* 580.

Ploennis v., Beschreibung eines merkwürdigen Horngewächses nebst pathol. Bemerkungen über die Entstehung u. Bildung von Horngewächsen am menschl. Körper überhaupt.

Plumbe; Praktical Treatise on Diseases of the Skin, I edit. p. 334.

Raimann v., Handbuch der speciellen med. Pathologie u. Therapie, II, p. 171.

Rayer, Traité des maladies de la peau, Tom. II.

Sachse (Ephem. N. C. an. I. schol. ad observ. 30).

Schenk, Obs. med. rarior. p. 699.

Schmidt Chr. Helw., descriptio ichth. corneae congenitae in virgine observatae, Bremen 1830 fol.

Schönlein, allgemeine u. specielle Pathol. u. Therapie.

Speth, Paul, über die lepröse Natur der Ichthyos. München 1826.

Stulli, Bull. d. Sc. med. T. XXI, p. 96.

Tilesius W. G., ausführl. Beschreibung u. Abbild. der beiden sog. Stachelschweinmenschen etc. Altenb. 1802 Fol. mit 2 illum. Kupfern.

Turner, Treatise on the Diseases of the Skin. 4 ed. p. 30.

Will, van der, obs. XXXV, cent. 2.

Willan, on Cutaneous Diseases 4. 1805.

Weber E. H., Beobachtungen über d. Oberhaut, die Hautbälge etc. in Meckels Archiv 1827.

Zacut. Lusitan. Prax. hist. obs. 188.

D i v i s i o.

Plurimi, qui de ichthyosi scripserunt, viri in duo, alii in tria genera dividere eam voluerunt.

Petrus Frank morbum, cujus et ipse eadem, quae supra laudavi, symptomata esse vult, leprae omnino adscribit. „Huic enim leprae", ait, „merito adnumerari possunt crustae pertinaces, fungosae, verrucosae, tum e flavo rubrae aut nigrae, tum canae aut subalbidae, quae imprimis in extremitatum superiorum aut inferiorum cute condensata, corio simili, rimata, aspera, mordente et valde pruriente, aut in quaque alia corporis parte emergunt, non latente ideo et subjecto alio cutis morbo; quae porro squamas numerosas, majores et siccas, scutellarum farina aut nive obductarum instar, remittunt, dum cutis subjecta rimosa interea est, diffisa, rubida, rimosa, sanguinea et erosa; quae denique saepius redeunt atque magis magisque diffunduntur.

Bateman, qui eam squamarum familiae adscribit, duo statuit genera.

1) Ichthyosis simplex (Synon.: Ichthyosis simplex) (Good); *Ichthyose nacrée* (Alibert), *Simple Fish-Skin* et

2) Ichthyosis cornea (Synon.: Ichthyosis cornigera) (Good); Cornua cutanea (Plenk); *Appendices cornées* (Rayer); *Corne*, *Ichthyose cornée; Horny-Fish-Skin.*

Qui *Batemani* de cutis morbis librum, ad Willani rationem accommodatum, in vernaculam sermonem transtulit vir, Thomsonem dico, et Batemanum et Willanum in eo falsos esse credit, quod Squamarum ordini ichthyosin adscripserunt; quippe quamvis minimae sint verrucae, non dubium esse, quin tuberculis magis sit adnumeranda.

Pendet haec divisio ex majore minoreve cutis condensatione; observandum enim est, utrum aspera modo et verrucosa, an textura quadam cornea oblita et ad cornua generandum prona sit.

In imaginibus a *Batemano* editis (Tabul. IX) morbum dividit in Ichthyosin simplicem et, prout in extremitatibus inferioribus observatur, in Ichthyosin cruris, et, prout genas solum occupat, in Ichthyosin faciei; Ichthyosis corneae mentio tamen ab eo fit nulla.

Alibertus praeter duo genera, a Batemano laudata, tertium etiam statuit: Ichthyosin pellagram— quod tamen malum, in Lombardia endemicum, nisi externam, nullam similitudinem, neque eam durantem, habere *Blasius* opposuit; ex propria ejus indole malum in toto et per totum corpus diffusum, eoque ipso ab Ichthyosi diversissimum est.

Raimannus pro cutis condensationis gradu ichthyosin dividit in *simplicem* et *corneam*; simplex ea est, quam jam supra descripsimus, cornea ea, in qua textura magis cornea est. Efflorescentiis squamosis morbum adscribit.

Quem morbum *Conradi* nomine leprae squa-

mosae, leprae Graecorum aut leprae Ichthyosi laudat, nonnisi leprae forma quaedam est, quippe cujus ante ortum trium dierum febris antecedat. Cutis inter furfures et squamas ruberrima et inflammata noctu praesertim mordere solet. Saepe glandularum tumores, durique in singulis partibus nodi existunt, exspiratio et transpiratio hircum redolent; noctu pugnus squamarum decidit; multae aliae accedunt debilitantes molestiae, quae tandem aegrum ad subitam defectionem convulsionesque infirmant.

Quibus rebus magis minusve ichthyosis caret, quae ipsi valetudini aegrotantis nihil vel non multum detrahit.

Choulantii, ut Aliberti, ichthyosis in simplicem et corneam divisio ex eo pendet, utrum cutis panni instar, quem „*chagrin*" Francogalli vocant, leviter sese extollendo et lineis decussantibus in formas rhomboideas, quae quidem tegularum instar alia super aliam positae sunt, divisa, an inspicienti tactuve exploranti pellis anguinae naturam habere videatur.

Ea de causa inter Ichthyosin cyprinam et serpentinam discernit, quibus postea ichthyosis pergamena addita est.

Schoenleinius, qui ichthyosin peculiarem morbum esse statuit, ichthyosinque corneam formis leprosis magis adnumerat, morbum dividit in

1) Ichthyosin simplicem; 2) I. scutellatam; 3) I. corneam. — Simplicem eam dicit, ubi squamas diversa magnitudine, enormes et colore sunt cano, ubi

e pluribus constant lamellis, imprimis extremitates, rarius pectus et abdomen corripiunt.

Scutellatam ichthyosin esse vult, ubi epidermis, e pluribus lamellis constans, subalbida, cana, saepe ferrugineo colore, condensatur, in parcasque partes rhomboideas et prismaticas a cute subjecta separatur — quae cutis particularum separatiio inde a peripheria ad centrum versus progreditur, efficitque, ut squamae ita natae in media parte deprimantur; pars enim ei subjecta firmiter adhaeret; unde etiam nomen scutellatae huic ichthyosi inditum est.

Quamvis tertio ichthyosis generi corneae nomen a Schoenleinio datum sit, mox tamen addit, Ichthyosin, quae a Willano cornea est dicta, congenitam corneae texturae degenerationem magisque formis leprosis adnumerandam esse, ideoque acuminatae ichthyosis nomen imprimis praedicat, quod in hac ichthyosi, cute cornu instar condensata, media squama umbilicate protrusa est.

Fuchsius et ipse inter *simplicem* et *corneam* ichthyosin distinguit, illam tamen iterum in *simplicem vulgarem* et *simplicem scutellatam*, hanc in *corneam verrucosam* et *corneam acuminatam* dividit.

Ichthyosi corneae verrucosae Fuchsius morbum in Melada, exigua in Sinu Veneto insula, adnumerari posse arbitratur.

Cujus morbi proprium est, quod singulares cutis partes, easque ab aliis ichthyosis formis liberas, corripit, plantas dico pedum palmasque ma-

nuum. Temporis tamen progressu in alias etiam corporis partes, imprimis in articulos et mentum, cubitum etc. transit.

Quod ad hujus morbi aetatem attinet, cum multis in formis leprae similis sit eaque de causa a multis scriptoribus huic morbo adnumeretur, eum in ultima jam antiquitate exstitisse conjicere licet. Diversae morborum formae, quas in media aetate nomine generali *Leprae* complexi sunt, non illa demum aetate, sed jam antiquis temporibus oriebantur.

Deficientibus aliis argumentis, tamen Ichthyosin a Lepra originem ducere, cum ejus pertinacia et raritas, tum ejus causarum et originis obscuritas luculenter docent; accedit denique, quod epidermidis in ichthyosi siccitas et durities nodorum in Lepra ortorum torpori et indolentiae respondere videntur.

Quid commune ichthyosi et leprae sit, cum uterque morbus exanthematibus squamosis adnumeretur, ex his conditionibus apparet, quae utriusque morbi naturae sicuti notae quaedam attributae sunt.

Ichthyosis, ut supra indicavimus, eruptio squamarum est, quae ex aegrae epidermidis lamellis constant, durae, condensatae, albidae, variis discriminibus in atrum calorem exeuntes, haud pellucidae, simul corneam quandam accipiunt texturam. Secundum alios squamae in ichthyosi ut in lepra sponte decidunt, non ita secundum alios.

Sin igitur cum Batemano statuis, has squamas nasci ex eorum, quae epidermidem secernunt, va-

sorum activitate mutata, quid inter lepram et ichthyosin intercedat discriminis, ex hujus inflammationis gradu facile perspicitur. Qui ubi is est, ut propriam, supra quam squamae nascuntur, cutem corripiat ad eamque exerceat vim quandam disturbantem et secundum nonnullos materiei putidae secretionem commoveat, ipsam aegri valetudinem et constitutionem evertat, tum leprae nomen dari licet.

Aetiologia morbi ejusque locus.

Tilesius et *Schmidtius* ichthyosin ab aegrotante cutis folliculorum mucosorum natura derivant. Quippe cum provide avulsis squamis petioli parvi, radicibus similes, extrahebantur, qui in illis folliculis radicem egisse videbantur. Contra quod monendum est, folliculos mucosos omnino haud ita crebros ubique existere; atque, quamvis, cur ichthyosis in facie rarius inveniatur, ex vestimentorum, stragulorum etc. irritatione deficiente derivari possit, tamen horum virorum theoriae id non posse accommodari, quod ichthyosis etiam rarius in interiori articulorum parte observatur, ubi tamen folliculos sebaceos plurimos esse constat.

In simplicissimis his morbis harum anomaliarum formatio folliculis sebaceis tribuenda est. Qui enim cum in inflammatione acuta ingentem humorum lentorum copiam secernant, iique humores in cute obdurari magna parte possint: ubi semel anomalis haec secretio ita commota est, ut, cessante irritatione illa inflammatoria, ipsa maneat (imprimis cum materiae secernuntur ad celeriter solide-

scendum pronae) formationes squamosae aut spinosae vegetative crescere possunt, quarum radices vel potius matrices in secernentibus folliculis mucosis sunt. Ejusmodi secretio si subito et profuse oritur et terrenis materiis abundat, irregulariter modo formata aggregata hic illic in cute generantur. Ubi vero ad cornu formandum proclivitas praevalet, formationes existunt, quae fontis sui loco accuratius respondent, certo cursu excoluntur; nec non rudimentis idoneis vehementer affluentibus, in diversas lamellas dissecantur, denique siccatae decidunt, novae suboli cedentes.

In cutis lamellis, quae naturam induunt ei simillimam, qua vulgaris verruca formatur, mali sedem esse *Batemanus* contendit.

Goodius incrustationem, quam dicit, a cutis organis, magnam materiae calci similis copiam, eamque in cute, in rete mucoso et epidermide subsidentem, secernentibus, formari statuit.

Schoenleinius mutatae cutis coloris statum ex epidermidis magna pigmenti formatione, non ex rete Malpighi proficisci censet.

Fuchsius morbi sedem in immodica atque enormi cutis papillarum conformatione esse vult.

Rayerus diversarum hujus morbi formarum squamas, tubera et spinas non in novis formationibus, concretionibus et aliis ejusmodi rebus, sed in condensata epidermide consistere putat. Superiora ejus tabulata magis vel minus pigmento perfusa, inferiora molliora, albida; subjectae cutis papil-

lae supra modum excultae, ideoque corii superficies tuberosa ejusque rimae altiores sunt.

Ichthyosis corneae, apud quam saepenumero (Ingrassias, Fabricius Hildanus, Turner etc.) excrescentiae late prominentes, textura quadam cornea praeditae, observantur (quae excrescentiae pro veris cornibus habitae sunt), sedes in verrucis aut in tumoribus cysticis aut in steatomatibus quaerenda est (Morgagni, Lorry, Home, Willan, Kieser, Abernethy etc.) Materiarum terrenarum in ejusmodi cystibus, quae texturae corneae formationem antecedere solent, verisimile est, humoris in illis tumoribus secreti sedimentum quoddam esse. Observatur praecipue haec res apud homines aetate valde provectos, apud feminas, quarum catameniae turbatae sunt aut cessant, nec non apud plurium simul ad caput tumorum cysticorum formationem, qui aliter materia quadam polentis minutissimis haud dissimili pleni esse possunt. Quibus omnibus in casibus cornea quaedam textura, ossium et fibrosarum formationum vicinitate prosperata, quae ex ipsius cystis fundo egerminans et nutrimenta capiens, propriis et peculiaris vegetationis legibus magis crescit, iisque in locis, ubi vel minimum obstat impedimentum, cornu pecudum magis minusve similis, extollitur, tanto facilius generari potest. Quae tamen textura cum ossium systemate nusquam et nullo modo proxime conjuncta est. Haec formandorum cornuum ratio in corporibus modo fit admodum luxuriosis et ad generanda cornua aliquo modo praeparatis, in quibus ea etiam de causa

corneae hae excrescentiae eo firmiores agunt radices.

Quod ad remotiores ichthyosis causas attinet, sunt eae admodum variae diversaeque, quamvis accuratior earum constitutio et definitio incertissima sit.

Morbus saepe hereditate acceptus (Choulant.), saepe congenitus est; certis enim quibusdam in procreatione et foeti vita momentis ac viribus fit, ut aut haud multum post partum, aut seriore aetate, immo jam ante partum, morbus emergat.

Saepe etiam Dyscrasia quaedam morbi causa èst. Quippe aegri saepe infantes et adolescentes erant scrophulosi aut rhachitici aut arthritici. Nec in syphilide causa esse nequit. Erant etiam, apud quos chronica exanthemata, menstruationis anomaliae, cutis illuc pertinentis laesiones antecessissent. Metum etiam, aegritudinem atque iram tamquam causas morbi laudarunt.

Si Aliberto fides habenda est, ichthyosis partialis praecipue in locis maritimis invenitur, in quibus multo piscium aquaeque fructu et coelo humido generari dicitur.

Fuchsius, qui ichthyosin hereditate accipi solere asseverat, hac ratione in quibusdam familiis eam per saecula propagari addit, modo singulas generationes intactas relinquentem, modo mares solum corripientem (ut in familia Lambert), modo etiam, ut morbum in Melada insula, feminas pariter ac viros tentantem. Nonnunquam prima morbi heredi-

tate accepti symptomata congenita sunt, saepius etiam in primis post partum mensibus, rarius in puerili aetate et sub pubertatem emergunt. Post hereditatem propria quarundam regionum natura ad ichthyosin generandam imprimis tribuere videtur — quae natura accuratius definiri nondum potest. Quippe malum non modo in insula Melada, verum etiam in singulis Francogalliae vicis, et si fides huic nuntio habenda est, in Taïti et Paraguay etc. endemicum est. Ceterum negari nequit, nonnunquam hunc morbum etiam in firmorum robustorumque parentum liberis occurrere et in locis, ubi inveniri non solet, homines omnino adultos hoc morbo corripi etc. Tum autem prima modo illa, quam supra descripsimus varietas observatur, et in singulis solum corporis partibus cutis mutatur. Quibus in morbis certa momenta et causae efficientes reperiri plerumque non solent.

Secundum Haskelium excrescentiae illae corneae in ichthyosi cornea — vide morbum ab eo infra descriptum — a concretione, quam vocat, quadam, minime tamen a germinatione pendent, cum nulla sanguifera vasa in illas transeant et ipsarum ortus ad humoris cujusdam, a cutis organis secreti, exsiccationem referendus sit. Quae cutis perversa secretio ab inflammatione quadam in cutis systemate commovetur, quam adesse tumorum baseos rubor docet.

In diversis corporis partibus morbus observatur, creberrime tamen in extremitatibus, in brachiis et cruribus, praecipue in externa eorum su-

perficie, rarius tamen in articulorum flexionibus. Rarius etiam in interna et superiori femoris parte et in columnae vertebrarum sulco, rarius etiam in facie occurrit. Ubi ichthyosis omnes fere corporis partes corripuit, palmis tamen et plantis sicut plurimis iis locis, in quibus cutis subtilior est, parcet. Maxima squamarum generatio ibi esse solet, ubi cutis integra mollior est, ut in olecrano et patella.

Facies, ut supra jam memoravimus, semper fere ab ichthyosi libera; raro tamen fit, ut et ipsa ei obnoxia sit.

Biettus puerum duodecim annorum curavit, qui, quamvis malum ei esset ingenitum, faciem tamen ab ea liberam haberet. Facta tamen in intestinorum canalis membranam pituitariam vel minima irritatione, quae in accuratissima diaeta creberrima erat, color faciei sordidus et subalbidus fiebat; simul cutis, quae ibi erat, paulum condensata squamis parvis, siccis, subalbidis obtegebatur. Fieri tamen potest, ut sola facies a malo corripiatur.

Sic virgo quindecim annorum, postquam antea capitis doloribus, flatulentia, alvi excretione anomali, pedum rigore et rubore volante in genis laboraverat, ichthyosi in facie tentabatur. Primum symptoma nihil fere aliud erat, nisi quod gena colorem subalbidum accipere coeperat, qui tamen calida aqua et saponis ope facile abluebatur.

Duobus annis praeterlapsis sordidus color augeri et adhaerere coepit, mox paucis mensibus

tantus fiebat, ut medicum consulere cogeretur. Qui cum per tres annos nullo cum successu eam curasset, exanthema, quod colore sordido-oleagino erat, mox etiam nasi tergum obliqua via supergressum, utramque genam corripuit.

Excrescentiae corneae, saepe ad trium vel adeo undecim digitorum longitudinem crescentes, saepissime in capite, nonnunquam in fronte, naso, mento et extremitatibus imprimis inferioribus, inveniuntur.

Ut exemplis comprobetur, quidquid de morbi aetiologia et sedibus dictum est, haec addimus:

Infans, quod ichthyosin verrucosam heredidate acceperat (cf. *Ehrhardt's medicinische Zeitung S.* 104) tertio inde a partu mense hoc morbo corripiebatur; mater eodem malo laborat, a quo tamen ceteri ejus quinque liberi omnino vacui sunt.

Alii squamas sponte decidere, alii, ut resolvantur, necesse esse referunt.

Otto hominem hoc morbo aegrum curabat, in cujus lecto quovis mane pugnus squamarum inveniebatur.

Morbus, de quo *Haskelius* refert, hic erat: Virgo aegra, parentum omnino robustorum sanorumque filia, jam sexto aetatis suae anno a morbo correpta, fratribus omnino integris utebatur, neque ipsa propter hunc morbum mala erat valetudine. Antea compluries scabie laboraverat, quae cum unguentis adhibitis expulsa esset, postremum excrescentiae ichthyoticae formatae erant.

In Hornii libro „*Archiv*" inscripto (1823. p. 1.) ichthyosis cornea spinosa partialis describitur.

Puer enim sanus, bene formatus, a parentibus natus robustis, octo post partum mensibus exanthemate quodam cortici simile cum in diversis trunci partibus, tum in facie tentatus est, quod exanthema odore erat morticino saepeque vehementer pruriebat. Neque scrophulosi neque alia quadam dyscrasia antea laboraverat.

Saepe tamen e scrophulosi nascitur ichthyosis.

In Schmidtii annalibus (VIII. 211.) lepra quaedam ichthyosis descripta est. Digitus index, ut in Elephantiasi, intumuerat deformatusque erat. Puer, hoc morbo aeger, annos natus undecim, admodum erat scrophulosus.

Nec syphilis causa morbi esse non potest.

Narratur in libro modo laudato (XVI. 155.): coitu immundo in glande penis tumores et phimosis extiterant, simul (superius) femur et genu squamulis densis, subviridibus, cyprinis (*Chagrin*) obductum erat, quae tamen ceteris in partibus rariores erant. Hoc exanthema tribus post contagium diebus natum est, neque antea contagio tentatus hic vir fuerat.

Animi quoque motus pro ichthyosis causis habitas esse supra jam memoravimus.

Schmidtius prima vestigia morbi in infante, quatuor vel quinque dies nato observavit. Nemo ex hac familia simili anomalia laborabat. Unde factum est, ut Schmidtius hunc morbum inde derivaret,

quod mater gravida hac filia in piscinam praecipitata, arbori conchis plenae adhaeserit. (?!)

Iis, quae supra de excrescentiis corneis breviter dicta sunt, haec addere licebit.

Imprimis ex tumoribus cysticis excrescentiae corneae nasci solent: e cystium enim ore substantia quaedam mollis et lenta crescit, quae sensim obdurescere et cornea fieri potest.

Secundum ea, quae *Abernethy* observavit, substantia illa cornea tum demum obdurescit, postquam cystis rupta est, eodemque modo dilatatur, quo secretio intra cystim durat. Crines et ossificatio, quae haud raro in tumoribus cysticis inveniuntur, ad has formationes propius accedere dici possunt.

Sachse, qui cornutorum hominum exempla plurima congessit, casus hos fere omnes formationi verrucosae adscribit.

Excrescentiarum cornearum exempla:

Morgagni in homine sene cornu observavit plus quatuor digitis longum et in basi digitum latitudine referens, quod e tumore cystico in sinistra capitis parte eminebat; prope quod minus cornu adspiciebatur.

Femina quadraginta duo annorum in sinistra capitis parte mobilem animadvertit tumorem, qui quinto abhinc anno ovi gallinacei magnitudinem aequabat, disruptusque liquorem crassum, cui grana glareae similia inerant, profundebat.

In medio illo tumore substantia apparebat parva, tenuis et in summa parte rutila, magnitudine

pisi, quae pro carne luxuriante habita, sensim et longior et latior facta, per tres etiam menses mobilis, tum cornea fiebat. Post duos annos propter vehementes dolores aegra avellere studens praefrinxit cornu; natus inde est locus haud paulum depressior. Longitudinem hoc cornu habebat quinque digitorum et in basi circuitum unius digiti. Mox ex inferiori loci depressioris parte alterum cornu, idque tenuius, emersit. Sensim etiam in regione anguli Lambdae (saturae) tria alia cornua orta sunt, etiam ea e tumoribus cysticis, in quibus idem, quem supra descripsimus, inerat liquor. Una cum his duo etiam alii tumores in capite nascebantur, conchae marinae similes, mobiliores, ut videbatur, humore sibi non ubique constante pleni. Cystes paulum dolebant; simulac vero cornu emersit, dolores erant intolerabiles.

Haud raro apud feminas mensibus cessantibus excrescentiae corneae inveniuntur.

Corradori duo cornua, quatuor digitos longa, in femore feminae septuaginta annorum observata, describit.

Eodem modo *Dumonceau* cornu novem digitorum in femore feminae senis memorat.

Therapia.

Cum ex iis, quae de morbi aetiologia dicta sunt, appareat, eam tum e dyscrasia nasci, igitur e Scrophulosi, Arthritide, Rhachitide, Scabie, Syphilide generari posse, tum e momentis incognitis eam oriri, quae et ante et post partum vim suam exer-

cere possunt: ichthyosin minime morbum per se existentem, sed illorum morborum symptoma modo esse, patet, ideoque ex causae eam efficientis indagandae difficultate nondum concludi posse, ipsam ichthyosin morbum omnino peculiarem esse.

Inde etiam eam sanandi difficultas proficiscitur. Morbo enim primario indagato et cognito, praeter curam palliativam etiam causalis, cumque hac radicalis cura facile invenietur.

Transeamus igitur ad morbi therapiam, de qua a multis expositum est.

Diversarum illarum anomaliarum diversas curas experti sunt medici, quae tamen, maximam partem palliativae, usque adhuc semper fere sine prospero successu fuerunt.

Externa et interna adhibita sunt remedia. Externa erant: balnea emollientia; lavationes alcalicae; olei infricatio; vesicatoria; vaporationes; pressiones emplastri adhaesivi striis, ligamentis et medicamentis causticis factae etc.

Quae medicamina ut decidant squamae, multum quidem, sed palliative tantum, tribuunt, cum squamae iterum emergant. — Interna remedia adhibita sunt; *purgantia*; *Jodina*; *Pix* in pilularum formam redacta; *Aurum muriaticum*, *Rumex acutus*, *Arsenicum* etc.

Willanus remedium palliativum hoc affert:

Remota „ait“ densi, squamosi integumenti pars non facile regeneratur. Facillima ad removendas squamas methodus ea est, ut unguibus a

certa corporis parte, quae interea in calidam aquam mersa est, resolvantur.

Epidermis „*Batemanus* ait", remotis jam squamis manifesta, densa est et sicca, neque unquam in morbis ab eo observatis eam, qua antea utebatur, texturam et mollitiem recuperavit; quominus tamen squamae formentur, adhibitis cum leni frictione calidis balneis impeditum est. — Ceterum haec curatio nunquam felix fuit; nec profecto verisimile est, epidermidis corneae remotionem aliquam utilitatem habere posse, quoad morbus, qui eam efficiebat, ipse non sanatur.

Vesicatoria imprimis, ubi diuturnior morbus erat, feliciter adhibita sunt.

Plumbe duos laudat morbi casus, in quibus incrustatio, quae crus tantum tentabat, adhibitis emplastri adhaesivi striarum et ligamentorum ope pressionibus et refrigerata semper fomentationibus superimpositis hac corporis parte, remota est. Quatuor vel quinque dierum decursu striis detractis, squamae eruptae a cute solutae inveniebantur, quae tum magnis fragmentis omnino decidit, relicta tamen epidermide albida et male comparata, quae sine dolore defricari potuit. Hac methodo saepius adhibita, cutis paulatim sanam texturam recepit.

Secundum *Batemanum* cutis, in aquam sulphurosam immissa et laneis aut crassioribus pannis fricata, ab hoc exanthemate, quod antea balneis adhibitis mollum erat factum, liberata est; neque tamen epidermis subjecta texturam, qua antea usa fuerat, recepit; mansit enim lucida et clara et exan-

thema rediit. Certiores ad cutem purificandam et diutius efficaces sunt vaporationes sulphureae. In uno morbi casu Blasius perfectam observavit sanationem, in nonnullis aliis felicem successum, adhibito scilicet Kali hydrajod., idq. ita:

Rp. Ungt. hydrargyri ciner. ℥β
Kali hydrojod. gr. XV
M. exact. S. in partem aegram infricanda.

Pix in pilularum formam redacta et interne adhibita salutaris nonnunquam fuit, quippe quae efficeret, ut epidermis aspera rumperetur, decideret et cutem relinqueret mollem et integram. Quod remedium, cum farina aut pulvere farinoso in pilularum formam redactum, magna copia datum, non modo sine quocunque damno, sed bono cum successu adhiberi potest; est enim cum universae valitudini salutaris, tum etiam efficacissimum ad accelerandam lentam circulationem et ad reddendam cuti aridae et pigrae activitatem suam. Minuitur pilularum odor teter, si, postquam factae sunt, aliquamdiu reservantur.

Femina quaedam per longius temporis spatium per diem ℈iij ad ʒβ pic. liquid. sumsit, quod medicamentum admodum salutare erat, tum ipsi cuti, tum praecipue valetudini. Primo quatuor pilulas, quarum quaeque granorum quinque erat, per diem hausit, mox paulatim numerum pilularum auxit.

Eodem, quo pix, modo arsenicum etiam in solutione adhibitum est. In morbo, ubi puellula haud graviter hoc malo in capite, humeris et brachiis tentata erat, adhibitum hoc remedium cutem

funditus mutavit, reddita ei textura naturali; in duobus tamen aliis morbis nullo erat successu prospero.

Internum remedium efficacissimum secundum *Batemanum* est Decoctum Radic. Rumic. acuti, aut solum adhibendum, aut cum arsenico conjunctum. Praeparatur hoc medicamentum ita, ut uncia radicis recens dissecti cum duabus aquae pintis, quas dicunt, tamdiu coquatur, usque dum una restet, denique percoletur. Ter per diem datur tantum, quantum scyphus vitreus capit. Aliquoties etiam hoc medicamentum nimis purgat, quod tamen ne fiat, addita ad quamcunque dosin Tincturae Opii gutta caveri potest.

Tres homines ichthyosi laborantes thuribulo, balneis sublimati et pilulis e pice factis sanati sunt. (Schmidtii annal. VII. 31.)

Aeger, apud quem, ut supra memoravi, ex syphilitica quadam affectione nata ichthyosis erat, amylo jodato ʒβ — ℥j ter per diem cum calidis balneis adhibito paucis hebdomadibus sanus est factus.

Quod ad excrescentias attinet corneas, remedium unice efficax id est, ut exsecentur aut omnino exstirpentur cystes aut superficies aegre secernens.

Transeamus jam ad morbum eum, quem ut ipse observarem et curarem felici sorte mihi contigit.

Aegrotus est puer alacer et vigens, capillo fusco et oculis, corpore bene et aequaliter constituto, modice corpulento, altitudine ea, quae aetati suae impar sit. Alvus turgens mollis est ad attrectan-

dum; nullum tamen helminthiasis vestigium, nulla, si appetitum, alvi excretionem et urinam spectas, abnormitas. Labium superius semper turgidum*); in dextro latere costa quarta et quinta angulum efficiunt paulum praeminentem, cujus tamen rei causa explorari potest nulla. Super totum fere corpus epidermis decolor est, densata, fragilis et laxa; propter fragilitatem illis locis facillime rumpitur, ubi multum inflectitur et intenditur, quod in cubito et genu maxime fit (cf. Tab. I, fig. 1 et 2). Cute laxa et condensata in brachii projectione ad cubitum contracta, plurimae oriuntur plicae, quarum numerus eo est major, quo laxior cutis. Qua in contractione propter cutis densitatem et fragilitatem in cujusvis plicae margine convexo, epidermidis nexu turbato, fissura nascitur. Cutis autem contractio cum in propriis ejus incisionibus maximam partem nascatur, ipsae illae fissurae in his incisionibus oriri solent.

Similiter cutis intra articulos contrahitur, ubi tamen squamae haud ita frequenter formantur, quod cutis hic subtilior et elasticior est.

Eadem res observatur, cum humerus aut removetur aut ad anterius thoracis latus promovetur; hic etiam contracta cutis in partes, squamis similes, rumpitur (Tab. I. fig. 2).**) Partes ab epidermide

---

*) Item alae nasi, quae res, cum abdominis intumescentia scrophulosin testari videtur.

**) His noli credere nos contendere voluisse, e sola cutis contractione squamarum formationem pen-

ruptae margines suos extra convertunt ita, ut albi esse videantur et umbras prope externos margines contrahant. Itaque epidermide inde a peripheria ad centrum usque sese resolvente, ichthyosis simplex scutellata oritur.

Libera omnino ab epidermidis degeneratione sunt: maxima genarum pars, mentum, inferior frontis pars; rarissime tentantur manus, pedes, nasus. In capitis partibus capillatis Tinea est ichthyotica. In qua capillus admodum siccus, asper et non densus est. In pectore et tergo squamis similes videntur degeneratae epidermidis maculae nigricantes, nullo ordine distantes. Magis regulares et squamosae hae maculae in brachiis et cruribus sunt. In cervice maxime congruens squamarum forma, quarum structura verrucosa, color austerior est (Tab. I, fig. 1). Quae morbi species Ichthyosis verrucosa dicenda esse videtur.

Nisi in manibus, pedibus, mento et genis, quae colore sunt maxime sano et rubente, non sudat aeger. Squamae in aliis corporis positionibus, si ad lucem spectantur, austerae videntur, immo nigrae, in aliis clariores.

Detractae tamen si propius spectantur, earum superficiem luminis solum quasi lusu colorem accepisse patet; neque si per microscopum adspiciun-

---

dere, cum, ut exemplo utar, apud eum, de quo equidem refero, aegrum in interiori femoris parte, ubi hujus membri usu haud multum contrahitur cutis, maxima inveniatur squamarum formatio.

tur eximia coloratio observatur. Per undulatam lamellarum structuram in interiori earum superficie pori observantur; quae lamellae ubi dissectae sunt, crassius formatae videntur. Apud infricationes in homines scabie laborantes in nosocomio, quod hac in urbe floret, factas, saepius data nobis est occasio, crassiores epidermidis desquamationes observandi, ibique squamarum formationes inveniendi iis omnino similes, de quibus supra diximus.

Epidermis aegrotans paullatim et in nonnullis corporis partibus ob crassitudinem suam non omnis decidit (tum ad eas, ubi non adeo degeneratur epidermis, partes, tum in iis cutis locis, qui rarius flectuntur). Simulac aegrotans epidermis rupta est, in singulis locis aliquamdiu omnino normalis observatur (Tab. II, fig. 1), mox tamen denuo degenerari coepit. Cutis subjecta vel maxime lassa est et remissa et sine quocunque tumore.

Quod ad momenta morbi, de quo agitur, aetiologica attinet, sunt ea tum e constitutione parentum, tum e singulari quadam proclivitate repetenda. Anamnesis haec est.

Artis texendi artifex quidam, U.... in oppido A..... triginta octo annos natus, cum antea mala valetudine nunquam usus esset, aetatis suae anno duodevigesimo supra anni spatium scabie laboraverat, quam malus quidem pharmacopola subito repressit. Anno post febri nervosa tentatus est, e qua, cum male curata esset, die octava febris intermittens nata est, quae eodem modo ligula piperis et spiritus frumenti, incipiente paroxismo sumta, repressa est. Post

suppressam scabiem asthmate laborabat, cujus causam balneum frigidum, quo ad dierum festorum Paschalium tempus usus erat, dixerim.

Tribus post febrim intermittentem annis uxorem duxit, cum qua quatuor primo liberos, omnino sanos robustosque, tum puerum genuit Emilium, ipsum illum, de quo hoc loco agitur, ante quem genitum asthmate, quod malum in matrimonio etiam auctum erat, admodum laboraverat. Gravida mater optima semper valetudine gavisa est. Infans tamen justo quidem tempore, sed partu molestissimo editum, per dimidium horae mortuum esse videbatur, praeterea valde pusillum et post semihoram demum in balneum erat immissum. Novem menses a matre ubera ei praebita sunt, quo etiam tempore puerulus, valde debilis, dentiebat. Post octodecim menses firmari, colorem accipere et aetatis suae anno tertio pedibus ingredi coepit, quae res molestissima erat et lubricum sudorem excitabat. Inde exanthema, de quo agitur, crescere coepit. Quarto anno variolae puero insertae sunt, quae res prospere successit. Sed ichthyosis magis magisque exculta, undecimo demum anno, omni rabie sua erupit.

Si praeter haec consideratur, matrem mediocri statura et atrabilari constitutione feminam, cute etiam nigricante et fusca esse, valde fragili et quae saepius desquametur: facile concluditur, in parentum constitutione magnam fuisse filii morbi causam, neque dubitari potest, patris in gignendo filio infirmitatem, de qua accuratius supra jam diximus, haud mediocrem in hujus vitam habuisse vim. Mox

etiam in eo scrophulosus quidem, non tamen valde excultus habitus exstitit, quemadmodum e tumentibus superiori labio, nasi alis et alvo, nec non e tinea ichthyotica concludi potest, quam dyscrasiam ad ichthyosin maxime proclivem esse, jam supra memoravimus.

Transeamus ad curam therapeuticam.

Adhibetur altero quoque die balneum hepatis sulphuris ʒij.

Die 29. *April.* Minus decolor minusque condensata cutis, minus etiam laxa est.

D. Hepat. sulphur. ℥iij.
S. ad quatuor balnea.

Die Maji 8. Continuantur balnea.

(Hoc ipso die in homine animi aegro, qui sub divo raro versabatur, epidermidis condensatae et decoloris rupturam, similem ei, de qua modo dixi, observavi; squamae tamen neque egaliter formatae erant, neque redierunt. Causa in solis calore fuisse videtur). Jam cum singulae cutis partes puriores fieri coeperint, nonnullarum partium degeneratio quaedam, verruculas quasi planas generans, quemadmodum supra de epidermide in cervice degenerata memoravimus, observari potuit. Corporis etiam aegri superficies tetrum nonnunquam emittit odorem.

Die Maji 24. Intermissis balneis hepatis sulphur., altero quoque die balnea salis Kreuznach. ℔j adhiberi jussa sunt.

Die Junii 29. Jam quoque die aeger lavatur.

Rp. Jodureti Sulphur. gr. j
Sacch. alb. ℈j
Mfpulv. disp. t. d. No. viij
DS. Mane et vespere pulv. dimid.

Infricetur etiam semel per diem in eandem utriusque brachii partem, cubiti dico flexionem, hoc unguentum:

Rp. Jodureti sulphur. ℈j
Axung. porc. ℥β
MD. Sumatur ita, ut praescriptum est.

Ad res, e quibus balneum constabat, additum est pondus Salis culinaris.

Die Julii 22. Multae cutis partes, antea ab exanthemate tentatae, jam adspectum praebent omnino salvum; praecipue tamen laborat cutis, quae in cervice est, in qua pertinacissimum est exanthema. Squamae, quae nunc etiam inveniuntur. imprimis in abdomine, in fronte, in media superiorum et inferiorum tum brachiorum tam crurium parte sunt. Quamvis admodum quidem pusillae et subtiles sint magisque distent, nigrum tamen illum splendorem, quem antea praebebant, etiamnum praebent. Inter dextrae manus digiti indicis et pollicis flexores, in inferiori carpi parte tumor existit fabae similis et elasticus, mobilis, neque firmiter cuti adhaerens, et cum luna aut crescens aut decrescens. Antea in sinistrae manus pollicis flexore similis inveniebatur tumor, qui tamen jam evanuit.

Pulveris, qui die 29. Junii sumi jussus erat, loco, praescriptum est hoc die (Jul. 22):

D. Ol. Jecor. Aselli ℥iij

S. Mane et vesperi cochlearis dimid. hauriatur.

Quo remedio continuo adhibito cura prosperrime succedebat.

Die Julii 29. Parentum precibus dimissus hoc die aeger est. Monitum tamen erat, ut, quam fieri posset accuratissime, continuaretur cura postremo tempore praescripta.

Quae tamen cura cum diligenter et accurate non continuata, sed saepe intermissa esset, malum rediit.

Analysis chemica, a Professore Artus Dr. instituta.

Die Schuppen bestanden in 100 Theilen aus:

Faserigem Gewebe	73,02
Gallertartiger Materie	10,20
Eiweifsstoff	6,50
Osmazom	1,03
Fettartiger Materie	1,24
In Wasser löslicher, extractartiger Materie	2,05
Phosphorsaurem Kali	1,00
Spuren von Kochsalz, Jodcalium und milchsauren Salzen.	
Verlust	0,73
Wachs	4,23
	100,00

Iconum explicatio.

Tab. I.

Fig. 1. Cervix.
— 2. Humeri sinistri adversa pars.
— 5. Squama, qualis sub microscopo spectatur.
— 6. Squama normali magnitudine.

Tab. II.

Fig. 3. Cubitus sinister.
— 4. Genu sinistrum.

THESES.

I.

Ad conceptionem non requiritur, ut menstrua apparuerint.

II.

Nulla sunt morborum specifica.

III.

Contagium gonorrhoicum et contagium venereum non eadem.

IV.

Frigus debilitat, calor excitat.

V.

Inflammatio non semper est morbus.

VI.

Vitium ex rei inopinatae adspectu embryoni illatum* (das Versehen) *plane negaverim.
